

1
3



N. 10

17

EXERCITATIONES
THEOLOGICO-DO-
CIMASTICAS

IN
ELECTORALI ACADEMIA
HALLENSI

INSTITUENDAS
PROGRAMMATE
PUBLICO

INDICIT

JOACHIM JUSTUS BREITHAUPT, D. 

PROF. P. SEM. DIR. CONS. DUC. MAGD.



HALÆ SAXON.

TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS
ELECT. BRANDENB. TYPOGR.



SANCTARUM LITERARUM CULTORIBUS
IN
ELECTORALI ACADEMIA HALLENSI,

Veritatem quæ in JESU est!

DE Ministris Ecclesiæ ac Verbi divini publicè
constituendis scribit Apostolus I. Tim. III,
10. οὗτοι δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον, εἶτα διακονείτω-
σαν ἀνέγκλητοι ὄντες. *Hi probentur prius, dein-*
de ministrent, si inculpati existant. Quid autem δοκιμα-
σία hujusmodi ex iis exigere debeat, præmissum his le-
gimus verbis, quòd oporteat esse ἔχοντας τὸ μυστήριον τῆς
πίστεως ἐν καθαρᾷ συνείδησιν, *habentes mysterium fidei in purâ*
conscientiâ. Tria proinde spectanda sunt potissimum,
in exploratione istiusmodi: primò, an habeant my-
sterium fidei *orthodoxè* in omnibus articulis? deinde,
an habeant *verè* illud ac salutariter in purâ conscientiâ?
tertiò, an facultatem ejus *ministrandi* idoneam habe-
ant? Pleriqve infando Ecclesiæ atqve animarum da-
mno sibi persvadent, si thesin probare, si antithesin
retellere sciant aliquo modo, requiri nihil ampliùs.

Ve-

Verum enim verò majus quiddam omnino est, habere mysterium fidei in purâ conscientia. Cum enim ad ministerium nemo admittendus sit antè, quàm circa hoc requisitum, plenè spectatum, inculpatus censi possit; notitiam Articulorum historicam nullo modo sufficere, etiamsi vel exquisitissimè ex Scriptura, id quod in primo capite longè maximi momenti est, probetur, demonstretur, ac defendatur veritas, sed peritiam quoque salutarem atque usu ipso exercitam, absque quâ cætera non nisi fidei mortuæ exangvia quasi ossa habenda fuerint, necessariò simul exquirendam esse, quis non intelligit? Atque hoc est primarium illud argumentum, quod *Apologia August. Confess.* contra Scholasticos Theologos tantopere urget, quos ex defectu internæ experientiæ demonstrat in tot tantisque errores incidisse, ut *veritatem non magis intelligerent, quàm parietes intelligunt vocem, quàm reddunt*: quibus aliisque gravissimis conquerendi generibus testantur satis Majores, quòd homine Theologo, vitâ fidei qui destituatur, nec deterius nec periculosius quidquam sit. Eadem *Apologia* nostra nihil usquam frequentius aut laboriosius inculcat, quàm quòd homo sensu veræ pietatis carens ignoret planè, quid sit, *verè timere DEUM, verè diligere DEUM, verè invocare DEUM, verè statuere, quòd DEUS exaudiat*. Unde non potest non fieri, ut, si quis animarum miserimarum curæ præpositus, veræ pœnitentiæ ac fidei motûs spirituales, proprietates atque progressûs non ipse interio-

re exercitio usurpârit, hic in unum ex duobus flagitiis incurrat, vel susque deque habens afflictarum mentium curas (si non prorsus etiam ut suspectas intueatur) vel certè vix aliquid satis digni consilii & solatii, utpote quo penes se usus nondum est, suppeditaturus. Quod quidem uti ad ipsam administrandi Verbi functionem pertinet, ita profectò in concionibus ad populum Christianum faciendis multò apparet manifestiùs, ubi utilissimarum materiarum ex Scripturis tractandarum, nisi Concionator fructum perceperit dudum, ferè exteriorem modò literam attingit, orthodoxiam solum in eo ponens, ut contra Regulam Fidei locutiones & interpretationes nullæ afferantur; ad quam tamen non minùs referendum, ut plenè atque integrè proponatur res quælibet, si velimus *ὁρθολογικῶς τὸν λόγον τῆς ἀληθείας*, rectè secare sermonem veritatis: quemadmodum v. c. *Apologia* docet non solummodò, quòd fides in Christum sola justificet, verùm etiam quid & qualis sit illa fides, quòdque fides remissionis peccatorum, quæ verè & ex corde assentiatur promissioni gratiæ, non fiat sine magno agone in cordibus humanis; item, quòd non modò requiramus bona opera, sed etiam ostendamus, quomodo fieri possint, neque tantùm quòd necesse sit inchoari legem, verùm & subinde magis magisque eam fieri, tum porrò, quomodo, si quid fit, Deo placeat: similiter *Declaratio*, quòd piæ doctrina ostendat omnis boni fontem, & rationem consequendi cum mediis, per quæ Spiritus Sanctus

-2991

ope-

operationes & dona sua vult inchoare & efficere; moneat; *quomodo* qvomodo conserventur, confirmentur & *gr̄antur*; & hortetur, ut gratiam illam divinam non frustra acceperimus, sed ut dona illa sedulo exerceamus, cogitantes, quam grave sit peccatum, tales Spiritus Sancti operationes impedire, aut illis resistere. Talia vero si animus haud exercuerit quotidiè, nec, quantopere usus requirat, notitiam *modi, obstaculorum, remediorum, adjunctorum, signorumque internorum*, suis periculis edoctus sit, non vehementer angitur, quid vel quomodo ad statum fidei adjuvandum proferre oporteat. Si quæras, unde tanta sollicitudo, si detur? responsio ex ore Pauli in promptu est, quod mysterium fidei non habeatur in pura conscientia. Longè aliter, hic egit Apostolus, qui admonet *Philippenses*, ut redundant magis magisque in cognitione & in omni sensu & experientia, ut quæ discrepent, dignoscant; laudat *Corinthios*, qui in Christo ditati in omnibus fuerint, ita ut nihil ipsis deesset in ulla gratia; *Romanos* autem optabat videre, ut iis stabilendis coram impertiretur donum spirituale, & ita quidem, ut ædificatio ex agnitione fidei & suæ & ipsorum invicem existeret; *Ephesios* denique ita docuerat, ut nihil subtraheret eorum, quæ conducerent, annunciando publice & domatim, quod per triennium non cessârat nocte & die cum lacrymis facere apud unumquemque. Cujusmodi sollicitudinem si in timore Domini considerare velint, qui Ministerio sint admovendi, tota mente contremiscent, di-

ORISII

X 3

cturi

Eturū cum *Chryſoſtomo* Homil. XXXIV. in Epist. ad
Hebræos: Omnium & singulorum, qui curæ tuæ sunt
commiſſi, mulierum, virorum & puerorum ⁱⁿ uedden-
da erit ratio, cogita, in quanto verſeris periculo; mi-
rum, si sacerdos ſalvetur. Et Homil. III. in Acta.:
Non arbitror inter sacerdotes multos eſſe, qui ſiant ſal-
vi, ſed longè plures eorum perire puto. Hæc autem
non ita reputare, ſignum animi eſt, qui Chriſti &
Pauli & Sanctorum Patrum Spiritu vacet. *Auguſtinus*
in numero Candidatorum Miniſterii vitam agens,
eſſi verè ad DEUM converſus erat, tamen quò ma-
gis creſcebat in pœnitentiâ & fide, tantò agnoſcebat
magis ignorantiam ſuam in hoc negotio, ſi, cùm
ſe vix dignè obſervaret ipſum, tot animarum ſuſci-
pienda cura eſſet. Ipſius verba hoc nomine in epi-
ſtolâ ad Episcopum Valerium data num. CXLIX.
ſic habent: *Putas me idoneum, quùm ego me meliùs*
noverim: qui tamen nec ipſe me nòſſem, niſi ex-
periendo didiciſſem. Sed dicit fortè Sanctitas
tua: vellem ſcire, quid deſit inſtructioni tuæ. Tam mul-
ta autem ſunt, ut faciliùs poſſim enumerare quæ habeo,
quàm quæ habere deſidero. Audeo enim dicere, ſcire me
& plena fide retinere, quid pertineat ad ſalutem noſtram:
ſed hoc ipſum quomodo miniſtrum ad ſalutem aliorum,
non querens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut
ſalvi ſiant? Quod exemplum Episcopi Hipponenſi-
um luculenter ſanè confirmat ex Apoſtoli ſententiâ,
Miniſtrorum probationem non debere tantùm ver-
fari in eo, an ſciant myſterium fidei, ſed etiam pri-
mario,

mario, an id ipsum habeant verè in purâ consci-
entiâ, & quomodo hujus ex usu illud catecheticè & ho-
mileticè administrare sciant? Hoc namq; in explo-
ratissimis habemus, quòd quò magis quispiam in
conversione ac renovatione cordis sui laboraverit,
atqve hâc curâ ad investigandam Scripturam appli-
cet omnem animum, eò possit distinctius & accu-
ratiùs causas apprehendere Theologicas, mentem
Spiritus Sancti præsentius introspicere, ex eâque
Domini effata interpretari sanctius, nec non ad u-
sum transferre saluberrimum. Ex quibus Verbi
meditationibus verè practicis paulatim quoque ena-
scitur iudicium in divinis, quatenus in hominem
renatum cadit, subactum; quale quid in omni stu-
diorum genere haberi admirabile solet, in rebus
autem supra rationem positis familiaritatem cum
DEI Spiritu sic ostendit, profanis ut incredibile vi-
deatur. Cæterum utut Ministros gradibus & san-
ctificationis & administrationis differre memineri-
mus, in uno hoc certè omnes censei debent, ut
Fidei mysterium habeant verè ac salutariter, hoc
est, in purâ conscientiâ. Ad hujusmodi ergò Arti-
culorum Fidei sanctam peritiam acqvirendam, unâ
cum assiduis precibus industriam in Scripturis vivi-
dè agnoscendis, tempusque non adeò exiguum re-
qviri, quo & spiritualis experientia secundum miri-
ficam DEI sapientiam magis magisque corroborer-
tur, & exploretur constantia, nemo negaverit. Et
publicis quidem functionibus ut accommodentur,
quæ imbiberint fideles animi, Exercitationes ante-
gressæ

gressæ non parum præstant, cum, quæ aliquando in officio gerenda sunt, hæc multò antè meditantur, huc se parant, ad hæc se omni modo exercent. Itaque nulla ratione defuturus ego partibus meis, *Docimasticas Exercitationes* tam publicè, quàm privatim, porro instituere bono cum Deo decrevi, & quidem triplices, singulis septimanis unamquamq; semel. In posterum igitur (I.) die Saturni hor. X. publico examine repetentur *Lectiones Theologicæ*, in quibus Epistolam ad Romanos ad dimidium, Libros Symbolicos ad finem ferè perduximus, dogmatum ex iis Analogiam & salutarem fidei usum recognoscendo. (II.) Eodem die hor. IV. pomerid. habebitur Examen *Catecheticum* juxta Venerabilis Dn. D. SPENERI Explicationem Doctrinæ Christianæ Germanicam in Catechismum minorem. (III.) Die Solis seu Dominica finitis omnibus Concionibus hor. IV. Collegium Biblicum ita continuatur, ut in certum Caput Evangelistæ Johannis, post factam generaliore[m] quandam enarrationem, tres quatuorve Alumnorum observationes suas *homileticè* proponant, quæ deinceps uberiore discursu vel emendantur vel adimplentur. Alia Collegia, quæ à Paschatos Festo nova instituenda sint, circa id temporis significabuntur, annuente DEO O. M. Hic verò, Ecclesiæ suæ & Pater & Custos sanctissimus, emittat operarios in messem suam, & laboribus nostris benedicat per Dominum nostrum,

JESUM CHRISTUM! Amen. P. P. Halæ

Saxon. Domin. Reminisc. Anno

M DC XCII.

m
nc
n-
a-
a-
r-
n-
e
a-
ò
r,
us
et
m
nt
r.
is
i,
ri
o
cè
m
p
re
&
n-
es
o
m
t-
s,
m
v
o
m

74 3373

ULB Halle

3


005 560 535



56







B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

17

TIONES
CO-DO-
CAS

CADEMIA
NSI

DAS
MATE
CO

ITHAUPT, D.
. DUC, MAGD.

ON.
ELDII, REGIMINIS
TYPOGR,

